

tione constitutum erat de muliere libera serua facta, idem postea non tantum a VESPASIANO <sup>(m)</sup>, verum quoque ab ipso CONSTANTINO M. <sup>(n)</sup> & a VALENTINIANO adeo VALENTE & GRATIANO Imperatoribus <sup>(o)</sup> repetitum est. Sicuti ergo ex his apparet, ex CONSTANTINI sanctione de libera muliere proprio seruo se iungente capite plectenda, minime confici, id ipsum antea Senatusconsulto Claudiano non fuisse constitutum, ita, si quid video, ex eo, quod certissime constat, CONSTANTINUM Imperatorem repetiisse & denuo sanxisse, quod isto Senatusconsulto de muliere libera alieni serui amore capta dispositum erat, non leuis oritur coniectura, alterum illud, quod CONSTANTINVS de muliere proprio seruo se miscente statuit, itidem & perinde, ac prius, CLAVDII oratione iam fuisse comprehensum, maxime cum in primo illo capite quoque nullam huius orationis mentionem fecerit, sed, quasi nouam conderet legem, loquutus sit. Ut ut se res habeat, nolo hanc meam qualemcunque coniecturam cuiquam peruicaciter obtrudere, nec, si cui displicuerit, multum repugnabo. Nam, ne reiecta quidem eadem, rem desperatam deferendamque putarim. Etenim si a veteribus ingenue propriis sese seruis turpiter committentes nulla affectae sunt poena, ratio videtur in dominio potius esse, quam in neglectu legum quaerenda. Quod si autem dominis, de quo dubitare non potest, propriis ancillis inhonesta libidine abuti licebat, quare mirandum foret, leges parem etiam mulierum dominarum turpitudinem impune tulisse <sup>(p)</sup>.

B 3

Sed

<sup>(m)</sup> SVETON. in *Vespas.* cap. 11.<sup>(n)</sup> L. 1. C. *Tb. ad SC. Claud.* (IV, 9.)<sup>(o)</sup> L. 6. C. *Tb. eod.*<sup>(p)</sup> Vid. HOFFMANN in *Diff. quam dixi, ad Leg. Iul. de adult.* cap. IV. §. 3.